Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 663
Quelle:
Copyright:

Victore) *super regula beati augustini episcopi.* Succedit dein ipsa Expositio hoc initio: *Hec precepta que subscripta sunt ideo regula appellantur* &c. prout legitur in ejus *Opp.* editione *Rotomag.* 1648. T. II. p. 5. f.

IV. *fol.* 59. *Hugonis* Capitula memoriae caussa in Versus parum propitia Minerva redacta sunt. Audi:

Uiuite concordes. Proprium retinens male sordes. 1.
Victus cum veste sit non equus patre teste. 2.
Cum rebus votum venientis sumite totum. 3.
Non intus quere, nequeas extra quod habere. 4. &c.

Abrupti videntur cum *Cap.* 38. *Hugo* enim *Capp.* 44. censet.

CCCXVII.

U. 173 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 498. f. eleganter perscriptus, rubricis decorus, et a *Paulo de Mellico* T. D. ad D. *Stephani* Can. et Decano an. 1479. defuncto legatus Collegio Ducali, ut Theca anterior praefert, continet: I. *Epistolas* CLXXX. partim S. *Augustini*, partim ad eum datas, quas inter Commercium genuinum cum *Hieronymo*, et suppositium cum *Bonifacio*, edita omnia a *Maurianis* T. II. *Opp.* quorum tamen praemissum *Indicem Alphabeticum* molesto doctus experimento Lectoribus denuntiare cogor; frustra enim in eo *Epistolas Augustini ad Romanianum*, et *ad Simplicianum* quaerent, quae tamen extant *n.* XV. *col.* 19. et *n.* XXXVII. *col.* 81. Epistola *ad Licentium n.* XXVI. *col.* 38. in Codice nostro *fol.* 96. p. 2. in *tres* divisa est. Lectio tota satis proba.

II. *fol.* 361. p. 2. praemisso Loco *Retractat.* L. II. c. 4. *Incipit Prologus Aurelii Augustini episcopi in libro de doctrina christiana.* Ita: *Sunt precepta quedam tractandarum scripturarum* &c. Libri IV. integerrimi, prout extant *Opp.* T. III. *col.* 1. alia tamen Rubricarum distributione.

III. *fol.* 412. *Sequitur Liber sancti Augustini de presentia dei ad Dardanum.* Initium est: *Fateor me frater dilectissime dardane* &c. Dissertatio haec legitur inter *Epistolas* T. II. *n.* CLXXXVII. *col.* 678. et in Codice nescit ultimam illam περικοπην: *Sed cum me delectat* &c. Paullo ante etiam pro: *quo major est Pater*, habet: *quo nemo maior*, et pro: *corporis modum* haud improbabiliter *corporis motum*

IV. *fol.* 417. p. 2. Excerpta quaedam e diversis *Augustini* Operibus de *Oratione Dominica* et *Eleemosyna.*

V. *fol.* 419. p. 2. *Augustinus de videndo Deo ad paulinam.* Initium: *Memor debiti* &c. ut T. II. *Opp.* Epistola *n.* CXLVII. *col.* 473. et nobis alibi.

VI. *fol.* 431. Epistolae binae, Prior *Prosperi*, altera *Hilarii* ad *Augu-*